AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS Medicorum Paris. die Iouis XI. Decemb. D. Michaële Toutain Doctore Medico, Præside.

Estnè luis venereæ, & Pestis idem Contagium?



ORBORVM alij benigni, Alij maligni, Hi non cedunt ordinariis remediis, habentque virus quoddam occultum, inter quos primum locum tenent contagiosi, quos non absurdè morbos formæ dixeris, cum formalibus vitæ principiis primum insidientur, quinetiam qui manifestè contagiosi perhibentur, vt phtisis, & scabies suæ contagionis causam non minus habent occultam & inexplicabilem quam lues aut pestis.



ONTAGIO est excretionis morbidæ ab vno subiecto in alterum traiectio: Cõmunicatur autẽ malignum hoc effluuiũ non promiscuè sed subiecto capaci & iam ad excipiendum parato: neque enim ad cõtagionem satis est vis agentis, requiritur etiam aptitudo patientis: hinc aër necessario inspirandus, quamuis pestilentibus inquinamentis conspersus, omnes quidẽ afficit, paucos inficit, eos potissimum qui putridis humoribus abundant.



ONTAGIONIS duo sunt modi, Alia cominus, alia eminus afficiunt: Cominus, Elephantiasis & lues Indica, Eminus pestis: Nam peste correptus vel solo halitu alium ad distans interficit non aliter quam Basiliscus visu: Hoc tamen interest, quod Basilisci venenum aliis quidẽ nõ Basilisco sit funestũ, Seminarium autem contagionis quod latet sub veste correpti peste, illi & obuio cuique sit mortiferum: Luis contagium non tantum concubitu sed suctu & fomite communicatur, non solo pudendorum attactu vt obstetrices quædã mẽtiuntur. Vtrumque autem seminarium non est semper hæreditarium ex parentibus enim lue vel peste affectis nati plerumquè virus istud effugiunt.



VEM, antiquum morbum, præcedunt gonorrhœa virulenta Caries pudendi & Bubo inguinum, vbi sunt emissaria Iecoris, quod sub hoc affectu primũ maximeque omniũ laborat: Hinc Alopœcia, Vlcera maligna, Tophi, Pustulæ rotũdæ & siccæ, corrupta massa sanguinis; Natura enim ad cutem vt emunctoriũ commune virus amãdat, hinc acerbi dolores in mediis artubus qui occidente sole exacerbantur, & interdum adeò peruicax capitis dolor, vt opus sit trepano, quod in morbis capitis inueteratis vtile & securum est remedium, At pestis præcursores sunt, Austrina anni constitutio annonæ caritas & post cladem insepulta cadauera: Præsentis suspicionẽ iniicit febris acuta diaria vel hectica malignis symptomatis comitata, Vomitu, Deliquio, Inquietudine, somnolẽtia, Præsertim si fuerit popularis certò demõstrant, Carbũculus & Bubo potissimũ sub axillis, vbi sunt cordis emissaria, quod primũ & maximè sub hoc morbo patitur. Securiores autem sunt isti tumores quò plures & maiores apparent.



EMEDIA vtrique morbo communia Purgatio, Venæ sectio etiã basilicæ, Bubone tam Pestilenti quam Venereo & Exanthematis apparẽtibus, Aquæ Thermales, Balneũ, Hydroticum, pertrita duo & singularia Alexipharmaca, Theriaca & Mithridatiũ: Particularia verò Hydrargyrosis luis, & Hepatica, tenuis victus, qui in peste liberalior esse debet, Cui etiã cõueniunt Cardiaca tam sumpta quã admota, in quibus vinum, Litus emunctoriorũ ex oleo scorpionum vt eo a suo simili venenum attrahatur; ad eum finẽ Vesicatoria, Cucurbitulæ Scarificationes scapulis, lumbis, cruribus admouendæ; aut litus totius corporis ex oleo amygdalarũ dulciũ quo cutis laxior excipiendo veneno reddatur aptior. Tutissimum verò contagionis pestilentis non luis remedium citò, longè, tardè.

Ergo non est idem luis quod pestis contagium.



Defendebat IOANNES RIOLANVS Parisinus. Anno Domini 1603.

D. DOCTORES DISPVTATVRI

M. Richardus Marces
M. Hieronimus Taquet
M. Simon Bazin
M. Nicolaus Pietre Profess. Reg.
M. Martinus Akakia Profess. Reg.
M. Petrus Paulmier
M. Claudius Fauuelet
M. Nicolaus Marchant
M. Franciscus du Port